

Colloquia Bienniensia

apud Eremum SS Petri et Pauli

ab a.d. XII ad a.d. X Kal. Oct.

Anno MMXIV

Bella, horrida bella
Aen., VI, 87



Loci selecti

Livius - De Tarquinio et Turno (Ab Urbe condita, I, 50-51)

50 - Iam magna Tarquini auctoritas inter Latinorum procures erat, cum in diem certam ut ad lucum Ferentinae conveniant indicit: esse, quae agere de rebus communibus velit. Conveniunt frequentes prima luce: ipse Tarquinius diem quidem servavit, sed paulo ante quam sol occideret venit. Multa ibi toto die in concilio variis iactata sermonibus erant. Turnus Herdonius ab Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat invectus: haud mirum esse Superbo inditum Romae cognomen. - Iam enim ita clam quidem mussitantes, volgo tamen eum appellabant. - an quicquam superbius esse quam ludificari sic omne nomen Latinum? longe ab domo excitis, ipsum, qui concilium indixerit, non adesse. temptari profecto patientiam ut, si iugum acceperint, obnoxios premat. Cui enim non apparere, adfectare eum imperium in Latinos? quod si sui bene crediderint cives, aut si creditum illud et non raptum parricidio sit, credere et Latinos quamquam ne sic quidem alienigenae debere: sin suos eius paeniteat, quippe qui alii super alios trucidentur exsulatum eant bona amittant, quid spei melioris Latinis portendi? si se audiant, domum suam quemque inde abituros neque magis observaturos diem concilii quam ipse qui indixerit observet. Haec atque alia eodem pertinentia seditiosus facinorosusque homo hisque artibus opes domi nactus cum maxime dissereret, intervenit Tarquinius. Is finis orationi fuit; aversi omnes ad Tarquinium salutandum. Qui silentio facto monitus a proximis ut purgaret se quod id temporis venisset, disceptatorem ait se sumptum inter patrem et filium cura reconciliandi eos in gratiam moratum esse, et quia ea res emisisset illum diem, postero die acturum quae constituisset. Ne id quidem ab Turno tulisse tacitum ferunt; dixisse enim nullam breviorum esse cognitionem quam inter patrem et filium paucisque transigi verbis posse: ni pareat patri, habitum infortunium esse.

51 - Haec Aricinus in regem Romanum increpans ex concilio abiit. Quam rem Tarquinius aliquanto quam videbatur aegrius ferens confestim Turno necem machinatur, ut eundem terrorem quo civium animos domi oppresserat Latinis iniceret. Et quia pro imperio palam interfici non poterat, oblato falso crimine insontem oppressit. Per adversae factionis quosdam Aricinos servum Turni auro corripit, ut in deversorium eius vim magnam gladiatorum inferri clam sineret. Ea cum una nocte perfecta essent, Tarquinius paulo ante lucem accitis ad se principibus Latinorum quasi re nova perturbatus, moram suam hesternam velut deorum quadam providentia inlatam ait saluti sibi atque illis fuisse. Ab Turno dici sibi et primoribus populorum parari necem ut Latinorum solus imperium teneat. Adgressurum fuisse hesterno die in concilio; dilatam rem esse, quod auctor concilii afuerit quem maxime peteret. Inde illam absentis insectationem esse natam quod morando spem destituerit. Non dubitare, si vera deferantur, quin prima luce, ubi ventum in concilium sit, instructus cum coniuratorum manu armatusque venturus sit. Dici gladiatorum ingentem esse numerum ad eum convectum. Id vanum necne sit, extemplo sciri posse. rogare eos ut inde secum ad Turnum veniant. Suspectam fecit rem et ingenium Turni ferox et oratio hesterna et mora Tarquini, quod videbatur ob eam differri caedes potuisse. Eunt inclinatis quidem ad credendum animis, tamen, nisi gladiis deprehensis, cetera vana existimaturi. Ubi est eo ventum, Turnum ex somno excitatum circumstant custodes; comprehensusque servis qui caritate domini vim parabant, cum gladii abditi ex omnibus locis deverticuli protraherentur, enimvero manifesta res visa iniectaeque Turno catenae; et confestim Latinorum concilium magno cum tumultu advocatur. Ibi tam atrox invidia orta est gladiis in medio positis, ut indicta causa, novo genere leti, deiectus ad caput aquae Ferentinae crate superne iniecta saxisque congestis mergeretur.

Livio - De Tarquinio et Gabinis (Ab Urbe condita, I, 53-54)

53 - Nec ut iniustus in pace rex, ita dux belli pravus fuit; quin ea arte aequasset superiores reges ni degeneratum in aliis huic quoque decori offecisset. Is primus Volscis bellum in ducentos amplius post suam aetatem annos movit, Suessamque Pometiam ex iis vi cepit. Ubi cum divendita praeda quadraginta talenta argenti refecisset, concepit animo eam amplitudinem Iovis templi quae digna deum hominumque rege, quae Romano imperio, quae ipsius etiam loci maiestate esset; captivam pecuniam in aedificationem eius templi seposuit.

Excepit deinde lentius spe bellum, quo Gabios, propinquam urbem, nequiquam vi adortus, cum obsidendi quoque urbem spes pulso a moenibus adempta esset, postremo minime arte Romana, fraude ac dolo, adgressus est. Nam cum velut posito bello fundamentis templi iaciendis aliisque urbanis operibus intentum se esse simularet, Sextus filius eius, qui minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios, patris in se saevitiam intolerabilem conquerens: iam ab alienis in suos vertisse superbiam et liberorum quoque eum frequentiae taedere, ut quam in curia solitudinem fecerit domi quoque faciat, ne quam stirpem, ne quem heredem regni relinquat. Se quidem inter tela et gladios patris elapsum nihil usquam sibi tutum nisi apud hostes L. Tarquini credidisse. nam ne errarent, manere iis bellum quod positum simuletur, et per occasionem eum incautos invasurum. Quod si apud eos supplicibus locus non sit, pererraturum se omne Latium, Volscosque se inde et Aequos et Hernicos petiturum donec ad eos perveniat qui a patrum crudelibus atque impiis suppliciis tegere liberos sciant. forsitan etiam ardoris aliquid ad bellum armaque se adversus superbissimum regem ac ferocissimum populum inventurum. Cum si nihil morarentur infensus ira porro inde abiturus videretur, benigne ab Gabinis excipitur. Vetant mirari si, qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset; in se ipsum postremo saeviturum, si alia desint. sibi vero gratum adventum eius esse, futurumque credere brevi ut illo adiuvante a portis Gabinis sub Romana moenia bellum transferatur.

54 - Inde in consilia publica adhiberi. Ubi cum de aliis rebus adsentire se veteribus Gabinis diceret quibus eae notiores essent, ipse identidem belli auctor esse et in eo sibi praecipuam prudentiam adsumere quod utriusque populi vires nosset, sciretque invisam profecto superbiam regiam civibus esse quam ferre ne liberi quidem potuissent. Ita cum sensim ad rebellandum primores Gabinorum incitaret, ipse cum promptissimis iuvenum praedatum atque in expeditiones iret et dictis factisque omnibus ad fallendum instructis vana adcrederet fides, dux ad ultimum belli legitur. Ibi cum inscia multitudine quid ageretur, proelia parva inter Romam Gabiosque fierent quibus plerumque Gabina res superior esset, tum certatim summi infimique Gabinorum Sex. Tarquinius dono deum sibi missum ducem credere. Apud milites vero obeundo pericula ac labores pariter, praedam munifice largiendo tanta caritate esse ut non pater Tarquinius potentior Romae quam filius Gabiis esset. Itaque postquam satis virium conlectum ad omnes conatus videbat, tum ex suis unum sciscitatum Romam ad patrem mittit quidnam se facere vellet, quando quidem ut omnia unus publice Gabiis posset ei di dedissent. Huic nuntio, quia, credo, dubiae fidei videbatur, nihil voce responsum est; rex velut deliberabundus in hortum aedium transit sequente nuntio filii; ibi inambulans tacitus summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. Interrogando exspectandoque responsum nuntius fessus, ut re imperfecta, redit Gabios; quae dixerit ipse quaeque viderit refert; seu ira seu odio seu superbia insita ingenio nullam eum vocem emisisse. Sexto ubi quid vellet parens quidve praeciperet tacitis ambagibus patuit, primores civitatis criminando alios apud populum, alios sua ipsos invidia opportunos interemit. Multi palam, quidam in quibus minus speciosa criminatio erat futura clam interfecti. Patuit quibusdam volentibus fuga, aut in exilium acti sunt, absentiumque bona iuxta atque inter emptorum divisui fuere. Largitiones inde praedaeque; et dulcedine privati commodi sensus malorum publicorum adimi, donec orba consilio auxilioque Gabina res regi Romano sine ulla dimicatione in manum traditur.

Erasmus - Dulce bellum inexpertis (Adagia)

Et elegans cum primis et multorum litteris celebratum adagium est : Γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος, id est Dulce bellum inexperto. Id ita reddit Vegetius libro De re militari III, capite XIV : Nec confidas satis, si tyro proelium cupit ; inexpertis enim dulcis est pugna. Citatur ex Pindaro : Γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δὲ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς, id est Dulce bellum inexpertis, ast expertus quispiam horret, si accesserit cordi supra modum.

Sunt quaedam in rebus mortalium quae quantum habeant discriminis ac malorum non intelligas, nisi facto periculo.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici
Expertus metuit.¹

Bella res et splendida videtur inter aulicos obambulare proceres, in regiis versari negotiis ; at senes, quibus usu penitus cognita res est, ab ea felicitate libenter abstinent. Suave videtur amare puellas, sed iis qui nondum senserunt quantum amoris insit amari. Ad eundem item modum accommodari poterit ad quodvis negotium multo cum periculo multisque conjunctum malis, quod nemo velit capessere nisi juvenis et rerum imperitus. Siquidem Aristoteles in Rhetoricis hanc adfert causam cur juvenis sit audacior, contra senecta timidior, quod illis imperitia rerum confidentiam pariat, his multorum experientia malorum timiditatem et cunctationem.

Quod si quidquam est in rebus mortalium quod cunctanter aggredi conveniat, immo quod oporteat modis omnibus fugere, deprecari, propellere, certe bellum est, quo non alia res vel magis impia vel calamitosior vel latius perniciose vel haerens tenacius vel taetrius et in totum homine indignior, ut ne dicam Christiano.

[...] Nunc belli simulacrum componamus Iam igitur videre te puta barbaras cohortes ipso voltu sonoque vocis horrendas, hinc atque hinc instructas ferratas acies, formidabilem armorum crepitum simul et fulgorem, inamabilem tantae multitudinis fremitum, oculos minaces, rauca cornua, terrificum taratantarae cantum, bombardarum tonitrua, non minus formidolosa veris, sed magis noxia, clamorem insanum, concursum furiosum, immanem laniationem, cadentium et occidentium crudeles vices, congestas strages, undantes cruore campos, fluvios humano tinctos sanguine. Fit interea nonnunquam ut frater incidat in fratrem, affinis in affinem, amicus in amicum, et communi furore iam debacchante in eius viscera stringat ferrum, a quo ne verbo quidem unquam fuerat laesus. Denique tantum malorum habet illa tragoedia, ut a commemoratione quoque pectus humanum abhorreat. Ut interim non referam illa volgaria prae his levioribus, protritae passim segetes, exustae villae, incensos pagos, abacta pecora, constupratae virgines, tractos in captivitatem senes, direpta phana, latrocinia, praedationibus, violentia plena confusaque omnia. Utque taceam illa quae felicissimum etiam ac iustissimum bellum consequi solent, expilatam plebem, oneratos proceres, tot senes orbos, tot anus destitutas et crudelius quam ferro peremptas, tot matronas viduas, tot liberos orphanos, tot domus funestas, tot opulentos ad inopiam redactos.

[...] Belligeramur assidue, gens cum gente colliditur, regnum cum regno, civitas cum civitate, princeps cum principe, populus cum populo et - quod ethnici quoque fatentur impium - affinis cum affini, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre. Denique - quod ego sane puto his omnibus atrocius - christianus cum homine, addam invitum - quod est atrocissimum - christianus cum christiano. Et, o caecitatem mentis humanae, haec nemo miratur, nemo detestatur! Sunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem plusquam tartaream sanctam appellent, ac principes ultro furientes instigant, oleum - quod aiunt - addentes camino. Alius e sacro suggesto promittit omnium admissorum condonationem, qui sub eius principis signis pugnarint. Alius clamat: "Invictissime princeps, tu modo serva mentem istam religioni faventem, Deus pugnabit pro te". Alius promittit

¹ Hor., Ep., XVIII.

certam victoriam, prophetarum voces ad rem impiam detorqueus, interpretans illa “Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a demonio meridiano »; et “ Cadent a latere tuo mille, et decem milia a dextris tuis»; et “Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem». Denique totus hic mysticus psalmus ad res profanas, ad hos et illos principes detorquebatur. Nec deerant utrique parti tales prophetae nec deerant talibus prophetis applausores. Tam bellaces audivimus conciones monachorum, theologorum, episcoporum. Itaque bellatur a decrepitis, bellatur a sacerdotibus, bellatur a monachis, et cum re tam diabolica Christum miscemus. [...] Mihi sane ne hoc quidem adeo probandum videtur quod subinde bellum molimur in Turcas. Male profecto agitur cum religione christiana, si illius incolumitas a talibus pendet praesidiis. Neque consentaneum est his initiis bonos gigni christianos. Quod ferro paratum est, ferro vicissim amittitur. Vis Turcas ad Christum adducere? Ne ostentemus opes, ne militum manum, ne vires. Videant in nobis non titulum tantum, sed certas illas hominis christiani notas: vitam innoxiam, studium benemerendi etiam de hostibus, invictam omnium iniuriarum tolerantiam, pecuniae contemptum, gloriae neglectum, vitam vilem; audiant coelestem illam doctrinam cum huiusmodi vita congruentem. His armis optime subiguntur Turcae. Nunc sepe numero mali pugnamus cum malis. Dicam aliud, et utinam audacius quam verius, si titulum crucisque tollas insigne, Turcae cum Turcis digladiamur. Si militum manu constituta est religio, si ferro confirmata, si bellis aucta, tueamur eam iisdem praesidiis. Quod si diversis rationibus peracta sunt omnia, cur veluti Christi praesidio diffisi ad ethnicas confugimus suppetias? .Nos totam Asiam et Africam ferro paramus extinguere, cum plurimi sint illic vel christiani vel semichristiani.

Cur non illos agnoscimus potius, hos fovemus et clementer emendamus? Quod si studemus imperio propagando, si inhiamus illorum opibus, cur rei tam prophanae Christi titulum praeteximus? Quid quod interim, dum humanis opibus tantum adorimur illos, hoc ipsum quod superest nobis ex orbe totum in manifestum discrimen adducimus?

Erasmus - Militis confessio (Colloquia VII)

HANNO - Unde redis nobis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras nobis?

THRASYMACHUS - Quos Vulcanos aut quos Mercurios mihi narras?

Ha. Quia alatus videbare quum abires, nunc claudicas.

Th. Sic a bello rediri solet.

Ha. Quid tibi cum bello, homo quovis dama fugacior?

Th. Spes praedae reddiderat fortem.

Ha. Multum igitur refers manubiarum?

Th. Imo zonam inanem.

Ha. Tanto minus gravare sarcina.

Th. Atqui sceleribus onustus redeo.

Ha. Gravis profecto sarcina, si verum dicit Propheta, qui peccatum appellat plumbum.

Th. Plus illic scelerum et vidi, et patravi, quam unquam antehac in omni vita.

Ha. Ecquid igitur arridet vita militaris?

Th. Nihil neque scelestius, neque calamitosius.

Ha. Quid igitur in mentem venit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter quam ad convivium?

Th. Ego nihil aliud coniectare possim, quam illos agi malis furiis, seseque totos malo daemoni ac miseriae devovisse, nec aliud, quam hic manes suos anticipare.

Ha. Ita quidem videtur. Nam ad res honestas vix ullo pretio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo gestum sit praelium, et utro sese inclinarit victoria.

Th. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuum tonitrua, hinnitus equorum, clamor virorum, ut neque videre potuerim, quid gereretur, adeo ut vix scirem ubi essem ipse.

Ha. Unde igitur ceteri, qui ex bello veniunt, sic depingunt singula, quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent otiosi spectatores?

Th. Ego credo, istos mentiri splendide. In tentorio meo quid gestum sit, scio: quid in praelio, prorsus ignoro.

Ha. An ne hoc quidem scis, unde tibi venerit claudicatio?

Th. Vix, ita me Mavors posthac male amet: suspicor aut saxo, aut equi calce laesum genu.

Ha. At ego scio.

Th. Scis? an tibi narravit aliquis?

Ha. Non, sed divino.

Th. Dic igitur.

Ha. Quum fugeres pavidus, collapsus humi offendisti in silicem.

Th. Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeo verisimile est, quod divinasti.

Ha. Abi domum, et uxori narra tuas victorias.

Th. Illa mihi occinet haud suave encomium, qui nudus redeam.

Ha. Sed unde restitues, quod rapuisti?

Th. Iam pridem restitui.

Ha. Cui?

Th. Scortis, oenopolis, et iis, qui me vicerunt alea.

Ha. Satis militariter. Par est, ut quod male partum est, peius dispereat. Verum a sacrilegiis, opinor, temperatum est.

Th. Imo illic erat sacrum nihil. Nec profanis parcitum est, nec fanis.

Ha. Quo pacto sarcies?

Th. Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: iure fit, quod illic fit.

Ha. Iure belli fortassis.

Th. Tenes.

Ha. At istud ius summa est iniuria. Te non patriae pietas, sed praedae spes pertraxit in bellum.

Th. Fateor, et arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito.

Ha. Est aliquid insanire cum multis.

Th. Concionator e suggesto pronunciavit, bellum esse iustum.

Ha. Suggestum illud non solet mentiri. Sed ut iustum sit principi, non continuo iustum est tibi.

Th. Audivi ex Rabbinis, quod licet sua cuique arte vivere.

Ha. Praeclara ars, incendere domos, diripere templa, violare sacras virgines, spoliare miseros, occidere innoxios.

Th. Lanii conducuntur ad mactandum bovem; cur nostra ars reprehenditur, quod conducimur ad mactandos homines?

Ha. Non eras sollicitus, quonam esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere?

Th. Non admodum. Bona spes habebat animum meum. Nam divae Barbarae me semel commendaram.

Ha. Receperat illa tutelam tui?

Th. Sic mihi visa est annuere capite aliquantulum.

Ha. Quando isthuc tibi visum est? mane?

Th. Non, sed a coena.

Ha. Sed tum, ut arbitror, etiam arbores tibi visae sunt ambulare.

Th. Ut hic divinat omnia! sed praecipua spes erat in divo Christophoro, cuius imaginem quotidie contemplantur.

Ha. In tentoriis? Unde illic divi?

Th. Carbone pinxeramus illum in velo.

Ha. Nimirum haudquaquam ficulnum, ut aiunt, praesidium erat carbonarius ille Christophorus. Sed extra iocum; non video qui possis expiari a tantis flagitiis, nisi te conferas Romam.

Th. Imo novi viam brevior.

Ha. Quam?

Th. Ibo ad Dominicales; illic paullo transigam cum commissariis.

Ha. Etiam de sacrilegiis?

Th. Etiam si Christum ipsum spoliasset, ac decollasset etiam; tam largas habent indulgentias, et auctoritatem componendi.

Ha. Bene habet, si vestram compositionem Deus ratam habuerit.

Th. Imo magis metuo, ne diabolus non habeat ratam. Nam Deus natura placabilis est.

Ha. Quem tibi sacerdotem deliges?

Th. Cui cognovero quam minimum esse frontis ac bonae mentis.

Ha. Ne non habeant similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus dominicum?

Th. Quid ni? Posteaquam semel effudero sentinam in illius cucullam, ego me exoneravero sarcina: ipse viderit, qui absolvit.

Ha. Qui scis, an absolvat?

Th. Scio.

Ha. Quonam indicio?

Th. Quia manus imponit capiti, admurmurans, nescio quid.

Ha. Quid si reddat tibi omnia peccata tua, quum manum imponit, haec admurmurans: absolvo te, ab omnibus benefactis, quae nulla in te comperio, et restituo te tuis moribus, talemque dimitto, qualem accepi?

Th. Viderit ille, quid dicat: mihi satis est, quod me credo absolutum.

Ha. Sed isthuc tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis Deo, cui debes.

Th. Unde tu mihi obviis, qui mihi conscientiam e serena nubilam redderes?

Ha. Felix occursus. Bona avis est obviis amicus, qui bene moneat.

Th. Nescio quam bona, certe parum suavis.

Erasmus - Querela Pacis

Ante paucos annos, cum fatali quodam morbo mundus ad arma raperetur, Euangelici praecones, hoc est Minores ac Dominicani quidam e suggestu sacro classicum canebant, et ultro ad furiam propensos magis accendebant. Apud Britannos animabant in Gallos, apud Gallos animabant in Britannos. Omnes ad bellum instigabant. Ad pacem nemo provocabat, praeter unum aut alterum, quibus paene capitale fuit ne vel nominare. Curfitabant ultro citroque facrosancti Praesules, et dignitatis et professionis suae obliti, publicum orbis morbum opera sua exacerbantes, tum hinc Iulium Pontificem Romanum, hinc Reges ad maturandum bellum instigantes, perinde quasi non satis ipsi sua sponte insanirent; et tamen hanc manifestariam infaniam magnificis titulis praeteximus. Huc patrum leges, huc piorum hominum scripta, huc arcana Scripturae verba impudentissime detorqueamus, ne dicam impie. Immo jam eo prope rediit res, ut stultum et impium sit adversus bellum hiscere, et id laudare quod in primis ore Christi laudatum est. Parum confulere populo, parum favere Principi videtur, qui suaserit rem omnium saluberrimam, et ab omnium pestilentissima dehortetur. Jam ipsa castra sequuntur Sacrifici, praesunt in castris Episcopi et, relictis ecclesiis suis, Bellonae rem agunt. Immo gignit jam bellum Sacerdotes, gignit Episcopos, gignit Cardinales, quibus Campi Legatus honorificus titulus et Apostolorum successoribus dignus habetur. Quo minus mirum, si Martem spirant, quos Mars genuit. Et quo malum sit insanabilius, tantam impietatem pietatis specie praetexunt: vexilla crucem habent!

Miles impius et nummis aliquot ad lanienam ac caedem conductus, crucis insigne praefert, et belli symbolum est, quod solum dedocere bellum poterat. Quid tibi cum cruce, scelerate miles? Istis animis, istis factis, dracones, tigrides ac lupi conveniebant. Istud signum Ejus est, qui non pugnando, sed moriendo vicit, qui servavit, non perdidit, quodque cum primis admonere te poterat, cum quibus hostibus tibi res sit, si modo Christianus es, et qua ratione vincendum sit. Tu salutis insigne gestas, ad fratris perniciem properans, et cruce perdis eum, qui cruce servatus est? Quid quod ab arcanis illis et adorandis facris -nam haec quoque pertrahuntur in castra!- in quibus in primis summa Christianorum concordia repraesentatur, curritur in aciem, dirum ferrum in fratris viscera stringitur et facinoris omnium sceleratissimi, quo non aliud esse potest impiis spiritibus gratius, Christum faciunt spectatorem, si tamen illic dignatur adesse Christus! Denique quod est omnium absurdissimum, in utrisque castris, in utraque acie crucis signum relucet, in utrisque sacra peraguntur. Quid hoc monstri est? Pugnat crux cum cruce, Christus ad versus Christum belligeratur? Hoc signum Christiani nominis hostes terrere solet. Cur nunc oppugnant, quod adorant? Homines non una digni cruce, sed vera. Quaeso, quid in hisce sacris orat miles, Pater noster? Os durum, audes eum appellare Patrem, qui fratris tui jugulum petis? Sanctificetur nomen tuum: qui magis dehonestari poterat nomen Dei, quam istiusmodi inter vos tumultibus? Adveniat regnum tuum : sic oras, qui tanto sanguine tyrannidem tuam moliris? Fiat voluntas tua, quemadmodum in caelo, ita et in terra: pacem vult ille, et tu bellum paras? Panem quotidianum a communi Patre petis, qui fraternas exuris segetes, et tibi quoque mavis perire, quam illi prodesse? Jam quonam ore dices illud: et dimitte nobis debita nostra, ficut et nos dimittimus debitoribus nostris, qui ad parricidium festinas? Deprecaris periculum tentationis, qui tuo periculo fratrem in periculum pertrahis? A malo liberari postulas, cujus instinctu summum malum fratri machinaris?

(pagg. 52-54 ed. Einaudi)

Tacitus - Concio Petiti Cerialis (Hist. 4, 73)

Cerialis postero die coloniam Trevirorum ingressus est, avido milite eruendae civitatis. hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam; horum scelere clausas caesasque legiones. quid tantum Cremonam meruisse? quam e gremio Italiae raptam quia unius noctis moram victoribus attulerit. stare in confinio Germaniae integram sedem spoliis exercituum et ducum caedibus ovantem. redigeretur praeda in fiscum: ipsis sufficere ignis et rebellis coloniae ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur. Cerialis metu infamiae, si licentia saevitiaque imbuere militem crederetur, pressit iras: et parvum, posito civium bello ad externa modestiores. convertit inde animos accitarum e Mediomatricis legionum miserabilis aspectus. stabant conscientia flagitii maestae, fixis in terram oculis: nulla inter coeuntis exercitus consalutatio; neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per tentoria et lucem ipsam vitantes. nec proinde periculum aut metus quam pudor ac dedecus obstupescerat, attonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi lacrimis ac silentio veniam poscebant, donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans quae militum ducumque discordia vel fraude hostium evenissent. primum illum stipendiorum et sacramenti diem haberent: priorum facinorum neque imperatorem neque se meminisse. tunc recepti in eadem castra, et edictum per manipulos ne quis in certamine iurgiove seditionem aut cladem commilitoni obiectaret.

Mox Treviros ac Lingonas ad contionem vocatos ita adloquitur: «neque ego umquam facundiam exercui, et populi Romani virtutem armis adfirmavi: sed quoniam apud vos verba plurimum valent bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum aestimantur, statui pauca disserere quae profligato bello utilius sit vobis audisse quam nobis dixisse. terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani nulla cupidine, sed maioribus vestris invocantibus, quos discordiae usque ad exitium fatigabant, et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem imposuerant. quot proeliis adversus Cimbro Teutonosque, quantis exercituum nostrorum laboribus quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. nec ideo Rhenum insedimus ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. an vos cariores Civili Batavisque et transrhenanis gentibus creditis quam maioribus eorum patres avique vestri fuerunt? eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent: ceterum libertas et speciosa nomina praetexuntur; nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit ut non eadem ista vocabula usurparet».

Concio Calgaci (Agricola, 30, 7)

Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore: nam et universi co[i]stis et servitutis expertes, et nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum inminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec ulla servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est; sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus ac saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugas. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, mare scrutantur: si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. Auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.

Caesar - De bello Gallico, IV

[24] At barbari, consilio Romanorum cognito praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti nostros navibus egredi prohibebant. Erat ob has causas summa difficultas, quod naves propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant, militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi onere armorum oppressis simul et de navibus desiliendum et in fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum, cum illi aut ex arido aut paulum in aquam progressi omnibus membris expeditis, notissimis locis, audacter tela coicerent et equos insuefactos incitarent. Quibus rebus nostri perterriti atque huius omnino generis pugnae imperiti, non eadem alacritate ac studio quo in pedestribus uti proeliis consueverant utebantur.

[25] Quod ubi Caesar animadvertit, naves longas, quarum et species erat barbaris inusitatio et motus ad usum expeditior, paulum removeri ab onerariis navibus et remis incitari et ad latus apertum hostium constitui atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac submoveri iussit; quae res magno usui nostris fuit. Nam et navium figura et remorum motu et inusitato genere tormentorum permoti barbari constiterunt ac paulum modo pedem rettulerunt. Atque nostris militibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui X legionis aquilam gerebat, obtestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret, 'desilite', inquit, 'milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere; ego certe meum rei publicae atque imperatori officium praestitero.' Hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiecit atque in hostes aquilam ferre coepit. Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt. Hos item ex proximis primi navibus cum conspexissent, subsecuti hostibus adpropinquarunt.

[26] Pugnatum est ab utrisque acriter. Nostri tamen, quod neque ordines servare neque firmiter insistere neque signa subsequi poterant atque alius alia ex navi quibuscumque signis occurrerat se adgregabat, magnopere perturbabantur; hostes vero, notis omnibus vadii, ubi ex litore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos adoriebantur, plures paucos circumstabant, alii ab latere aperto in universos tela coiciebant. Quod cum animadvertisset Caesar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri iussit, et quos laborantes conspexerat, his subsidia submittebat. Nostri, simul in arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in hostes impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt; neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortunam Caesari defuit.

Caesar - De bello Gallico, VII

[26] Omnia experti Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium ceperunt ex oppido profugere hortante et iubente Vercingetorige. Id silentio noctis conati non magna iactura suorum sese effecturos sperabant, propterea quod neque longe ab oppido castra Vercingetorigis aberant, et palus, quae perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat. Iamque hoc facere noctu apparabant, cum matres familiae repente in publicum procurrerunt flentesque proiectae ad pedes suorum omnibus precibus petierunt, ne se et communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quos ad capiendam fugam naturae et virium infirmitas impediret. Ubi eos in sententia perstare viderunt, quod plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit, conclamare et significare de fuga Romanis coeperunt. Quo timore perterriti Galli, ne ab equitatu Romanorum viae praeoccuparentur, consilio destiterunt.

[27] Postero die Caesar promota turri perfectisque operibus quae facere instituerat, magno coorto imbre non inutilem hanc ad capiendum consilium tempestatem arbitratus est, quod paulo incautius custodias in muro dispositas videbat, suosque languidius in opere versari iussit et quid fieri vellet ostendit. Legionibusque intra vineas in occulto expeditis, cohortatus ut aliquando pro tantis laboribus fructum victoriae perciperent, eis qui primi murum ascendissent praemia proposuit militibusque signum dedit. Illi subito ex omnibus partibus evolaverunt murumque celeriter compleverunt.

[28] Hostes re nova perterriti muro turribusque deiecti in foro ac locis patentioribus cuneatim constiterunt, hoc animo ut si qua ex parte obviam contra veniretur acie instructa depugnarent. Ubi neminem in aequum locum sese demittere, sed toto undique muro circumfundi viderunt, veriti ne omnino spes fugae tolleretur, abiectis armis ultimas oppidi partes continenti impetu petiverunt, parsque ibi, cum angusto exitu portarum se ipsi premerent, a militibus, pars iam egressa portis ab equitibus est interfecta; nec fuit quisquam, qui praedae studeret. Sic et Cenabi caede et labore operis incitati non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt. Denique ex omni numero, qui fuit circiter milium XL, vix DCCC, qui primo clamore audito se ex oppido eiecerunt, incolumes ad Vercingetorigem pervenerunt. Quos ille multa iam nocte silentio ex fuga excepit, veritus ne qua in castris ex eorum concursu et misericordia vulgi seditio oreretur, ut procul in via dispositis familiaribus suis principibusque civitatum disparandos deducendosque ad suos curaret, quae cuique civitati pars castrorum ab initio obvenerat.

[29] Postero die concilio convocato consolatus cohortatusque est ne se admodum animo demitterent, ne perturbarentur incommodo. Non virtute neque in acie vicisse Romanos, sed artificio quodam et scientia oppugnationis, cuius rei fuerint ipsi imperiti. Errare, si qui in bello omnes secundos rerum proventus exspectent. Sibi numquam placuisse Avaricum defendi, cuius rei testes ipsos haberet; sed factum imprudentia Biturigum et nimia obsequentia reliquorum uti hoc incommodum acciperetur. Id tamen se celeriter maioribus commodis sanaturum. Nam quae ab reliquis Gallis civitates dissentirent, has sua diligentia adiuncturum atque unum consilium totius Galliae effecturum, cuius consensui ne orbis quidem terrarum possit obsistere; idque se prope iam effectum habere. Interea aequum esse ab eis communis salutis causa impetrari ut castra munire instituerent, quo facilius repentinos hostium impetus sustinerent.

Bartholomaeus Casa - Defendo oves meas!

Vergilius - De morte Pallantis

Interea soror alma monet succedere Lauso
Turnum, qui volucris curru medium secat agmen. 440
ut vidit socios: «tempus desistere pugnae;
solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.»
haec ait, et socii cesserunt aequore iusso.

at Rutulum abscessu iuvenis tum iussa superba 445
miratus stupet in Turno corpusque per ingens
lumina volvitur obitque truci procul omnia visu,
talibus et dictis it contra dicta tyranni:
«aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis
aut leto insigni: sorti pater aequus utrique est. 450
tolle minas.» fatus medium procedit in aequor;
frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.
desiluit Turnus biiugis, pedes apparat ire
comminus; utque leo, specula cum vidit ab alta

stare procul campis meditantem in proelia taurum, 455
advolat, haud alia est Turni venientis imago.
hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum
viribus imparibus, magnumque ita ad aethera fatur:

«per patris hospitium et mensas, quas advena adisti, 460
te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.
cernat semineci sibi me rapere arma cruenta
victoremque ferant morientia lumina Turni.»
audiit Alcides iuvenem magnumque sub imo
corde premit gemitum lacrimasque effundit inanis. 465
tum genitor natum dictis adfatur amicis:
«stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus
omnibus est vitae; sed famam extendere factis,
hoc virtutis opus. Troiae sub moenibus altis

tot gnati cecidere deum, quin occidit una 470
Sarpedon, mea progenies; etiam sua Turnum
fata vocant metasque dati pervenit ad aevi.»
sic ait, atque oculos Rutulorum reicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam

vaginaque cava fulgentem deripit ensem. 475
illa volans umeri surgunt qua tegmina summa
incidit, atque viam clipei molita per oras
tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
hic Turnus ferro praefixum robur acuto

in Pallanta diu librans iacit atque ita fatur: 480
«aspice num mage sit nostrum penetrabile telum.»
dixerat; at clipeum, tot ferri terga, tot aeris,
quem pellis totiens obeat circumdata tauri,
vibranti cuspis medium transverberat ictu
loricaeque moras et pectus perforat ingens. 485
ille rapit calidum frustra de vulnere telum:
una eademque via sanguis animusque sequuntur.
corrui in vulnus (sonitum super arma dedere)
et terram hostilem moriens petit ore cruento.

Horatius - Epodon liber VII

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
 aptantur enses conditi?
parumne campis atque Neptuno super
 fusus est Latini sanguinis,
non ut superbas invidae Karthaginis
 Romanus arces ureret,
intactus aut Britannus ut descenderet
 sacra catenatus via,
sed ut Secundum vota Parthorum sua
 Vrbs haec periret dextera?
neque hic lupis mos nec fuit leonibus
 umquam nisi in dispar feris.
furorne caecos an rapit vis acrior
 an culpa? responsum date.
tacent et albus ora pallor inficit
 mentesque percussae Stupent.
sic est: acerba fata Romanos agunt
 scelusque fraternae necis,
ut inmerentis fluxit in terram Remi
 sacer nepotibus cruor.

Tibullus - Elegiae, I, 10

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,
Tum brevior dirae mortis aperta via est.
An nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras? 5
Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus sparsas dux gregis inter oves. 10
Tunc mihi vita foret, volgi nec tristia nossem
Arma nec audissem corde micante tubam;
Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem, 15
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tum melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus. 20
Hic placatus erat, seu quis libaverat uva,
Seu dederat sanctae spicea sarta comae,
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela, 25
* * * 25a
* * * 25b
Hostiaque e plena rustica porcus hara.
Hanc pura cum veste sequar myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis
Sternat et adversos Marte favente duces, 30
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis accersere mortem?
Inminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax 35
Cerberus et Stygiae navita turpis aquae;
Illic percussisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa. 40
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea pax arva colat. pax candida primum 45

Duxit araturos sub iuga curva boves,
 Pax aluit vites et sucos condidit uvae,
 Funderet ut nato testa paterna merum,
 Pace bidens vomerque nitent — at tristia duri
 Militis in tenebris occupat arma situs — 50
 Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
 Uxorem plaustro progeniemque domum.
 Sed Veneris tum bella calent, scissosque capillos
 Femina perfractas conqueriturque fores.
 Flet teneras subtusa genas, sed victor et ipse 55
 Flet sibi dementes tam valuisse manus.
 At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
 Inter et iratum lentus utrumque sedet.
 A, lapis est ferrumque, suam quicumque puellam
 Verberat: e caelo deripit ille deos. 60
 Sit satis e membris tenuem rescindere vestem,
 Sit satis ornatus dissoluisse comae,
 Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus,
 Quo tenera irato flere puella potest.
 Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque 65
 Is gerat et miti sit procul a Venere.
 At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,
 Perfluat et pomis candidus ante sinus.

Augustinus – De civitate Dei

Orbis terrae miser est diversitate linguarum et bellis

7. Post civitatem vel urbem sequitur orbis terrae, in quo tertium gradum ponunt societatis humanae, incipientes a domo atque inde ad urbem, deinde ad orbem progrediendo venientes; qui utique, sicut aquarum congeries, quanto maior est, tanto periculis plenior. In quo primum linguarum diversitas hominem alienat ab homine. Nam si duo sibimet invicem fiant obviam neque praeterire, sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quorum neuter linguam novit alterius: facilius sibi muta animalia, etiam diversi generis, quam illi, cum sint homines ambo, sociantur. Quando enim quae sentiunt inter se communicare non possunt, propter solam diversitatem linguae nihil prodest ad consociandos homines tanta similitudo naturae, ita ut libentius homo sit cum cane suo quam cum homine alieno. At enim opera data est, ut imperiosa civitas non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret, per quam non deesset, immo et abundaret etiam interpretum copia 20. Verum est; sed hoc quam multis et quam grandibus bellis, quanta strage hominum, quanta effusione humani sanguinis comparatum est? Quibus transactis, non est tamen eorumdem malorum finita miseria. Quamvis enim non defuerint neque desint hostes exterae nationes, contra quas semper bella gesta sunt et geruntur; tamen etiam ipsa imperii latitudo peperit peioris generis bella, socialia scilicet et civilia, quibus miserabilius quatitur humanum genus, sive cum belligeratur, ut aliquando conquiescant, sive cum timetur, ne rursus exsurgant. Quorum malorum multas et multiplices clades, duras et diras necessitates si ut dignum est eloqui velim, quamquam nequaquam sicut res postulat possim; quis erit prolixae disputationis modus? Sed sapiens, inquit, iusta bella gesturus est. Quasi non, si se hominem meminit, multo magis dolebit iustorum necessitatem sibi exstitisse bellorum, quia nisi iusta essent, ei gerenda non essent, ac per hoc sapienti nulla bella essent. Iniquitas enim partis adversae iusta bella ingerit gerenda sapienti; quae iniquitas utique homini est dolenda, quia hominum est, etsi nulla ex ea bellandi necessitas nasceretur. Haec itaque mala tam magna, tam horrenda, tam saeva quisquis cum dolore considerat, miseriam fateatur; quisquis autem vel patitur ea sine animi dolore vel cogitat, multo utique miserius ideo se putat beatum, quia et humanum perdidit sensum.

Pacem omnes habere cupiunt

12. Quod mecum quisquis res humanas naturamque communem utcumque intuetur agnoscit; sicut enim nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit. Quando quidem et ipsi, qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt; ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid est aliud victoria nisi subiectio repugnantium? quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur et bella, ab his etiam, qui virtutem bellicam student exercere imperando atque pugnando. Unde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit; nemo autem bellum pacificando. Nam et illi qui pacem, in qua sunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergo ut sit pax nolunt, sed ut ea sit quam volunt. Denique etsi per seditionem se ab aliis separaverint, cum eis ipsis conspiratis vel coniuratis suis nisi qualemcumque speciem pacis teneant, non efficiunt quod intendunt. Proinde latrones ipsi, ut vehementius et tutius infesti sint paci ceterorum, pacem volunt habere sociorum. Sed etsi unus sit tam praepollens viribus et conscios ita cavens, ut nulli socio se committat solusque insidians et praevalens quibus potuerit oppressis et extinctis praedas agat, cum eis certe, quos occidere non potest et quos vult latere quod facit, qualemcumque umbram pacis tenet. In domo autem sua cum uxore et cum filiis, et si quos alios illic habet, studet profecto esse pacatus; eis quippe ad nutum obtemperantibus sine dubio delectatur. Nam si non fiat, indignatur corripit, vindicat et domus suae pacem, si ita necesse sit, etiam saeviendo componit, quam sentit esse non posse, nisi cuidam principio, quod ipse in domo sua est, cetera in eadem domestica societate subiecta sint. Ideoque si offerretur ei servitus plurium, vel civitatis vel gentis, ita ut sic ei servirent,

quemadmodum sibi domi suae serviri volebat: non se iam latronem latebris conderet, sed regem conspicuum sublimaret, cum eadem in illo cupiditas et malitia permaneret. Pacem itaque cum suis omnes habere cupiunt, quos ad arbitrium suum volunt vivere. Nam et cum quibus bellum gerunt, suos facere, si possint, volunt eisque subiectis leges suae pacis imponere.

Aeneas Silvius Piccolomini - De bello cum Turcis gerendo

...Sed quid illud horribile novum modo allatum de Constantinopoli? Tremit manus, dum haec scribo, horret animus neque tacere indignatio sinit neque dolor loqui permittit. Heu, miseram Christianitatem! Pudet iam vitae, feliciter ante hunc casum obiissemus! Italia, Germania, Gallia et Hispania magna ex parte salva, pro pudor ab effeminatis Turcis inclitam urbem Constantinopolim capi permittimus. Credo haec iam vestrae pietatis aures accepisse....

Turchorum imperator magnis militum copiis Constantinopolim proximis his diebus obsidione terra marique cinxit atque admotis machinis et insultu ter facto expugnavit, populum omnem gladio extinxit, sacerdotes diversis tormentorum generibus excarnificavit neque sexui neque aetati pepercit; quadraginta et amplius milia personarum illic occisa referuntur. Qui res gestas ad nos ex Rascia venientes enarrant, Paleologum, qui apud eos imperavit, capite multatum, filium eius ereptum fuga in Pera modo obsessum aiunt. Nolo ista singillatim proseguere, quae per alios et melius et verius sanctitati vestrae conscripta esse non ambigo. Satis est mihi cum vestra pietate de tanta Christianitatis ruina dolere. Urbs, que post Constantinum in annos 1100 et ultra duraverat neque unquam in potestatem venerat infidelium, spurcissimorum Turchorum, hoc infelici anno direptioni patuit. Roma quoque post suam conditionem in anno 1164 per Gothorum regem Athlaritum direpta refertur: sed hic ne templa sanctorum violarentur edixit. Turchos autem in ecclesias Dei saevituros quis dubitet? Doleo templum illud toto terrarum orbe famosissimum Sophiae vel destrui vel pollui. Doleo infinitas sanctorum basilicas opere mirando constructas vel ruinae vel spurcitiae Maumethi subiacere. Quid de libris dicam, qui illic erant innumerabiles, nondum Latinis cogniti?

Heu, quot nunc magnorum nomina virorum peribunt? Secunda mors ista Homero est, secundus Platoni obitus. Ubi nunc philosophorum aut poetarum ingenia requiremus? Extinctus est fons Musarum, utinam tantum nobis superaret ingenii, ut hanc calamitatem dignis vocibus deplorare possemus. Admodum ista cor meum urgent atque expungunt, sanctissime Pater. Video simul et fidem et doctrinam deleri. Idque nostra desidia accidit, qui solum presentia respicimus. Quod si ferventiores ad rem Christi publicam animos adhiberemus, haec profecto nefanda clades inferri nobis minime potuisset. Certus sum, quia merore magno vestra Sanctitas est affecta multumque rei huius deplorat eventum, neque ab re quidem. Nemo est enim, cui magis tanti mali fama, quam vestrae pietati sit obfutura. Nam scriptores omnes, qui apud Latinos Romanorum pontificum gesta referunt, cum ad vestrum tempus fuerit ventum, in hanc sententiam de vestra gloria scribebant: Nicolaus papa quintus natione Tuscus sedit annis tot; Patrimonium ecclesiae ex tyrannorum manibus vindicavit, divisam ecclesiam unioni reddidit, Bernardinum Senensem in cathologo sanctorum annumeravit, palatium sancti Petri construxit, basilicam eius mirifice reparavit, iubileum celebravit, Fridericum tertium coronavit. Pulchra haec et decora de vestro nomine predicabuntur, sed illud omnia funestabit, cum in fine adiicietur: at huius tempore urbs regia Constantinopolis a Turchis capta direptaque est, nescio an diruta incensave dici poterit, quamvis in manu hostium data minus exusta nobis quam integra possit obesse. Itaque ruet vestra fama sine vestra culpa, qui etsi totis conatibus opem ferre miserae civitati studuistis, non tamen Christianis regibus persuadere potuistis ut arma simul capessentes commune fidei negotium adjuvarent. Negabant tantum esse periculum, quantum dicebatur: mentiri Grecos mendicareque pecunias arbitrabantur, omnia ficta vanaque reputabant.

Fecit vestra Beatitudo quod potuit. Nihil est quod vestrae Clementiae possit impingi, sed tamen

impinget hoc vestro nomini posteritas rerum ignara, cum vestro tempore Constantinopolim amissam didicerit...

Vestrum est iam assurgere, scribere regibus, mittere legatos, monere, hortari principes atque communitates in aliquem communem locum aut veniant aut mittant. Nuncque dum malum est recens Christianae rei publicae consulere festinent, pacem aut indutias inter socios fidei componant atque iunctis viribus adversus salutiferae crucis inimicos arma moveant...

Ex Gaezio Stiriensi, die 12 Iulii 1453.